

Q. K. 238, 19.

(X2044375) Carlstadt

11



FACULTATIS  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
PHILOSOPHICÆ  
DECANUS

*Solennem*

BACCALAUREORUM  
RENUNCIATIONEM,

pridie Dominicæ III. Adventûs, hoc est d. 14. De-  
cembr. anni hujus ad exitum properantis

1678.

more consveto instituendam,

BENEVOLIS LECTORIBUS

significat,

ipforumqve honorificam præsentiam

officiosè exorata cupit.

---

L I P S I Æ,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.



K. 238.

FACULTATIS  
IN ACADEMIA  
PHILOSOPHICA  
DEGGANUS



BACC  
RUM  
1678  
more copy to the

RENEVOLOS LECTORIBUS  
significat  
informumve honorumque praesentium  
officio exortamur

LIPSIÆ  
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS





Væ flores amœnissimos excipere fortuna solet, ut flatu ventorum non importuno tantum, sed & noxio infestentur, eandem Academici quoque honorum gradus, flores veluti quidam Parnassi, ab inflatis opinione scientiæ jamdiu experti sunt ingeniis. Sunt, qui contemnunt eos atque irrident; alii, ut pestiferos & ab ipso Salvatore prohibitos, penitus abolendos atque exterminandos censent, abusi sacro illo effato: *Nolite vocari Rabbi, unus enim est Magister vester Christus*, Matth. 23. v. 8. quod tamen horum vesaniæ neutiqvam patrocinari accuratè jamdudum est ab orthodoxis demonstratum Theologis a). Ultima origo rabiosi dogmatis enthusiasmus est, quo abrepti homines cerebrosi, cum nescio quâ inspiratione occultâ elevari se ad rerum salubrium notitiam posse sibi persvadeant, non mirum est, si Scholas & Academias, cum iisque examina & promotiones pro retri-mentis habeant, quæ expurgari oporteat. Crevit hoc zizanii genus superiore seculo non longè post initium reformationis B. Lutheri ministerio inchoatæ. Cum enim anno 1521. proscriptus ille ab Imperatore delitesceret, Witebergam occupantes fanatici quidam semina sparserunt ejus doctrinæ, quæ postea in apertam Anabaptistarum sectam erumpens per varias ditiones est vagata. Sed Witebergæ tum quidem maximè *Andreas Carlostadius* Ducem se præbuit eorum, qui non ritibus modò ac titulis Academicis, sed Academiis ipsis, imò Scholis etiam inferioribus ruinam & minarentur, & inferre jam inciperent. Quorum tumultibus ut obicem poneret Lutherus, flagitantibus præsentiam ejus amicis, Martio mense anni 1522. ex Patmo veluti suâ revertendum statuit sibi. Multa Carlostadii, Witebergensem Ecclesiam mirificè turbantis fuere deliria, multa facinora: (quis enim, ut alia mittam, Iconomachiam ejus ignorat?) sed hîc ad illam tantum ejus ferociam respicio, quâ pessundare Scholas, Academias, eruditionis testimonia & præmia publica est conatus: in hoc negotio sic pertinax, ut ne quidem à reduce Luthero saniora sibi persvaderi fuerit passus. Quo præsentem cum Johannem Westermannum, & Gotschalcum Cropium ipse Doctores crearet, publicè testatus

)o( 2

testatus

a) Vid. Gerhard. Tom. VI. Loc. Theolog. tit. de Ministr. Eccles. num. 137. p. 331. & quos præterea citat Pruckner. Part. IV. Vindic. Bibl. ad h. l. f. 246.

testatus est, nemini se posthac gradum esse collaturum, ne sciens violet illud Christi: *Nolite vocari Rabbi b*). Quod dictum & cathedræ Doctorem inscripsit *c*). Eò autem vesaniæ tandem est prolapsus, ut ipse rusticus è Doctore factus paganorum idiotismo *vicinum Andream d*) appellari se haud invitus pateretur aliquandiu; donec pertæsus molestiarum resipuit paulatim, ac tandem post obitum Zvinglii Basileam profectus ad sacrarum literarum professionem rediit *e*). Ubi & longè mitius de gradibus academicis pronunciare eum cœpisse, controversia demonstrat, quæ ipsi cum Simone Grynæo intercessit: à quo postulavit, ut si Theologiam publicè docere vellet, Theologum se Doctorem creari pateretur *f*). Dum historiam Caroloostadii exequor, facere non possum, quin simul retundam calumniam quorundam Pontificiorum, qui Caroloostadiani erroris socium aliquandiu *Philippum Melanchthonem*, ut qui non modò de literariâ vitâ perversè senserit, sed pistorem etiam per aliquod temporis spacium egerit, perinde ut Caroloostadius agricolam, blaterant. Faciunt hoc Laurentius Surius *g*) Carthusianus, Nicolaus Serarius *h*) Jesuita, Lutheranae religionis desertor Casparus Ulen-

- b) *Gerhard. d. l. n. 136. Cui junge Catal. Doct. & Profess. Theol. præmissum Consiliis Theol. VViteb. ): ( (: ) 2: c) Eischr. Lutheri cap. XXXVII. f. 471: 472. ed. Jen. ann. 1591. d) Neber Endres. Vid. Fröschel. vom Prießerthumb/ Borred b. 2. e) Vide Melch. Adam. in vit. Theol. German. p. 85. f) Melch. Adam. d. l. p. 88. ex Antipappo Sturmii. Consulendus & Petr. Ramus orat. quam Basileam inscripsit p. 459. præf. epist. & orat. ed. Marburg. ann. 1599. g) Commentar. rer. gest. p. 115. ed. Colon. A. 1586. sub anno 1522. Prior autem eæteris tribus scripsit Surius. Itaque ad eum Serarius & Ulenbergius (sicut ad Ulenbergium Ramundus) provocant. Audiamus ergò loquentem Surium. Interim dum ille [Lutherus] abesset, quiddam mirè ridiculum accidit VVittenbergæ, Carolostadius enim & Melanchthon, præcipui Lutheri discipuli & Symmystæ, haustâ occasione ex scriptis Lutheri, studiosis adolescentibus persuasere, non esse dandam operam philosophiæ; Platonem, Aristotelem, Ciceronem, & id genus alios non nisi mera scripsisse commenta, & imposturas, eoqve libros eorum Vulcano consecrandos; uni factorum bibliorum lectioni vacandum, neque fas esse hominem Christianum literis deditam actitare vitam; faciendum omnibus, quod in Genesi dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* --- Et ut magis insaniam proderent suam, Carlstadius ex Archidiacono factus est agricola in rure VVittenbergensi, Melanchthon in pistrino artem pistoriâ meditabatur. --- At Lutherus VVittenbergam è suâ Patmo reversus Philippum hoc nomine castigavit, Carlstadium ex ditione VVittenbergensi exegit. h) Tom. III. Opusc. Theol. f. 160, 161. ed. Mogunt. A. 1611. in Oratione II. Luthe-*

Ulenbergius *i*), Calvinianæ Florimundus Ramundus *k*). E quibus ta-  
 men Ulenbergius, quæ de *pistore* Philippo affert, ex aliorum potius  
 quam sua sententiâ protulisse vult videri: vicissim stylo utens adeo in-  
 temperante, ut haud obscure innuat, (quod reliqui non faciunt,) Ico-  
 nomachiam quoque Caroloftadii, legum Romanarum cum Mosaicis  
 permutationem, & alia plura fuisse à Philippo approbata. Video &  
 Cochleum citari *l*), sed hujus de hoc argumento narrationem inspice-  
 re haud licuit, hominis aliàs notæ maledicentiæ, atque adeo ejusdē com-  
 mania nostræ præceptor omninò defendendus. Prolixum esse vetant  
 angusta chartæ spacia. Itaque omittam demonstrare, quam parum ipsis  
 inter se, si curatè singuli examinentur, cōveniat, quam multa illi de Phi-  
 lippo fabulæ misceant vel ab historiæ veritate aberrantia, vel ἀσύντακ-  
 τα. Satis hoc erit mihi, si optimi viri innocentiam breviter exponam  
 luci. Credemusne ergò his Philippomastigibus, eum hominem, qui  
 ad ornandas toto ætatis adultæ spacio Scholas non factus sed natus vi-  
 detur, qui Academiis illud præstitit, quod Ecclesiis Lutherus, id impe-  
 rare sibi unquam potuisse, ut cum Caroloftadio has Spiritus S. officinas  
 destruere, decora ipsarum titulos academicos destruere niteretur? Ab-  
 solvunt ab hâc eum calumniâ Sleidanus *m*), Matheſius *n*), Ra-  
 bus *o*), Chytræus *p*), Dresserus *q*), Bucholcerus *r*), qui de Carolo-  
 ftadianis tumultibus historiam recitantes, Philippi conspirationem pro-  
 fundè silent. Inquiet aliquis, parcere ipsos famæ ejus voluisse, quem  
 valdè charū habuerint. Suspiciabimur ergò, charum Philippum fuisse et-  
 iam Fontano Parisiensi Theologo? nam & is, ubi commemorat *s*), quid  
 exulan-

*ro-turcicâ. Mordacem hominis calamum vel hoc prodit, quòd Orationi huic toti, cu-  
 jus argumentum est, utrum Christiani, & maximè Religiosi nominari possint  
 Magistri & Doctores? etiam hoc lemma præscribendum putabit: Utrum rectè  
 Philippus Melanchthon ex artium Magistro pistor, Andreas Carolstadius ex  
 Theologiae Doctore arator, rusticusque Corydon factus sit? i) Vit. Phil.  
 Melanchth. p. 17. 18. ed. Colon. A. 1622. k) Histor. de ortu hæres. lib. II. c. 9.  
 p. 138. ed. Colon. A. 1655. l) citant eum (perinde ut Surium) in marginibus suis  
 Serarius & Ulenbergius. m) lib. III. Comment. p. 72. n) in der vierd-  
 ten Pred. von Luthero p. 33. o) Histor. der Mart. Part. II. f. 1531.  
 p) Part. I. Chron. Saxon. lib. VII. p. 718. ed. Rostoch. A. 1590. Nescio ita, quid sit,  
 quod Ulenbergius in marg. Chytræi quoque Saxoniam citat. q) Millen. VI.  
 Isag. Histor. p. 60. r) Ind. Chronol. p. 484. ed. Francof. A. 1634. s) lib.  
 W. Histor. p. 296. ex interpretatione Roseri Pontani Carmelita, (nam Fontanus ipse*

exulante Luthero Caroloftadius egerit, de Philippo ne hifcit quidem. Atqvi conftat, eodem confilio hiftoriam fuam Fontanum fcripfiſſe, quo Surium, ut Sleidani fidem elevaret. Cur ergò Surius Caroloftadio ſodallem addit Philippum, non addit Fontanus? Inftabant hîc Serarius & Ulenbergius, pro ſe facere Collocutores etiã Altenburgenſes: nam & ad horum teſtimonium provocant t). Verùm illi ex noſtris Thuringiaci Theologi, qvi Altenburg. Colloquio interfuere, non id ajunt, quod Serarius illis affingit, *Melanch. & Caroloſtadii impulſu & hortatu Wittenberg. Academiã docendi munus abjeciſſe, literas exegiſſe, libros innumerabiles combuſſiſſe, Scholas ipſas exinaniviſſe; & obſeraviſſe; neq; qvi Ulenbergii hîc aliquantò modeſtior calamus eſt, Melanchthonem à Caroloſtadio aliisq; deſentatam tantum imbibiſſe fanatici ſpiritus, ut velut ebrius vehementer nutaret; ſed hoc enunciant, vacillaſſe Philippum eo tempore, quo furere cum aliis inceperit Caroloſtadius u). Nimirum prona illi mens ad metum fuit, neqve tanta, qvanta Luthero, magnanimitas, inqve Eccleſiæ periculis heroica fortitudo. Id ergò volunt Collocutores iſti, cùm abſente Luthero inſanire cœpiſſent fanatici, & horum conſors Caroloſtadius, fluctuaſſe Philippum, [ quod eidem mox pergunt x) Auguſtanæ quoque Confefſionis tempore contigiſſe, ] neqve in his anguſtiis conſtituere ſatis potuiſſe, quò ſe verteret. Exſtat verò & Lutheri ad Philippum A. 1522. ſcripta epiſtola y), quã timiditatem ejus improbare ſe ait, ac de fide infantum præcipuè contra novos prophetas diſſerit. Unde intelligis, ſi maximè per ea tempora in ipſis doctrinæ ſanæ controverſiis nutare Philippus cœperit, ( hominem enim fuiſſe nemo negat, ) non tamen hoc ad quæſtionem de Scholis & Academiis, ſed de fide infantum referri oportere, neqve his eum dubitationibus ita ſuccubuiſſe, ut in caſtra tranſiret adverſariorum z). Certè à Caroloſtadii partibus, rem Scholaſticam concutientis, adeò non ſtetit, ut ipſi potiùs, tanquam homini feroci a) ſtrenuè ſe, quod & juxta cum Philippo D. Hieronymus Schurfius*

gallicè ſcripſit, ) ed. Colon. A. 1558.

marginè p. 18.

t) Serarius in textu f. 160. Ulenbergius in

u) Verba Collocutorum hæc ſunt f. 276: ed. Vitteb. A. 1570.

Sie wiſſen ja wol/wie Philippus bald anfänglich gewancket/da Carlſtadt zu Wittenberg und etliche andere/abweſend Lutheri des Wagens und Fuhrmans Iſrael/mit dem Bauerleben zu ſchwermen anfing.

x) Sequitur enim ſtatim: Wie Kleinmütig er auch geweſen/uud hin und wieder gewancket eben zu der Zeit / da die Augſpurgische Confefſion geſchrieben / &c.

y) Tom. II. Epiſt. p. 41.

z) Confer, quæ de Marco (Stubnero) & Philippo diſſerit Camerar. in vita Phil. Mel. p. 48. 49. 50.

a) hoc & aliis elogiis à Philippo Caroloſtadium fuiſſe ornatum

fius fecit, opposuerit, teste Fröschelio *b*), tandemq; Lutherum crebris suis aliorumq; literis, ut Witebergam periculoso statui consulturus rediret, permoverit: id quod e Camerario *c*) didicimus ac Selneccero *d*). Qui illud quoque de Melanchthone *pistore* commentum egregie refellit. Nimirum Caroloftadius *alios quoque*, utar enim ipsisimis Selnecceri *e*) verbis, *non malos ita occaecavit, ut quidam Quintiliani publicus Professor Philippus artem pistoriã exercere inciperet: unde Pontificii aliqvi Philippum Melanchthonem in tantum amentie venisse scripserunt, ut desertã vocatione & exustis libris suis mechanicas operas fecerit, quod mendacium Surii monachi nimis impudens est.* Habes ita simul originem totius commenti, cum Philippo Melanchthone confundentis quendam ipsi cognominem. Ac fieri potest, ut alium quoque Caroloftadii asseclam fabulatores isti transformaverint in Philippum. *Gabrielem Didymum* intelligo. Hunc enim constat, cum absente Luthero, (cujus ipse vicem concionando supplebat,) id ipsum in templo svasisset, quod in lectionibus suis Caroloftadius, abrogandas esse unã cum Academiis Scholas particulares, Baccalaurei, Magistri, Doctoris titulos adversari mandato Christi *f*): hunc, inquam, constat reduce Luthero sententiam mutavisse *g*); ac fuere tum fortasse, qui de Philippo disseminarent, quod oportebat de Gabriele. Sed hæc pro causã Philippi sufficere jam posunt. Retinemus verò in hac etiam Academiã constanter illos honorum Academicorum gradus. Atq; adeo, quod felix esse DEUS T. O. M. jubeat

---

*habes apud Selnecc. Orat. de Luthero p. 26. Quibus adde, quæ ex epistolã quã Adam Philippi refert Ramundus de ort. heres. lib. II. c. 7. §. 5. p. 121. Item illud ad Camerarium scribentis Philippi 4. Non. Jan. A. 1522. Quæ de Alphabetho [i. e. Caroloftadio, vid. Melch. Adam. vit. Theol. Germ. p. 80.] scribis, non nihil commoverunt. Vereor enim ne Vir ille privatam contumeliam, quam putat, ulturus, novo scandalo causam evangelicam oneret. b) Worred vom Priestertth. a. 4. Venit autem ipso anno 1522. Fröschelius Witebergam. c) in vitã Phil. Mel. p. 50. d) Orat. de vitã Lutheri p. 26. ed. Jen. A. 1592. e) d. l. f) Etiam hoc Fröschelius (apud quem non pauca hujus argumenti reperies haud passim obvia) docet. Cui nominatur quidem non nisi frater Gabriel Augustiner Dordens/ sed Didymi cognomen ipsi fuisse discas e Tom. I. Epist. Lutheri p. 50. g) Luther. ad Vencesl. Lincum Tom. II. Epist. p. 9. (cui quidem epistola pro anno 1522. perperam adscriptus legitur 1521.) Carlstadius & Gabriel horum autores fuerunt monstrorum, & Gabriel quidem sese agnoscit, & in alium virum mutatus est.*

Ka 2852 QK

jubeat, crastino mane horâ VIII. Bonarum Artium ac Philosophiæ  
Baccalauri solenni ritu in Auditorio Philosophico renunciabuntur  
Juvenes quinque, qui & hoc honore dignam eruditionem suam in exa-  
mine approbaverunt nobis, & probitatis ac virtutum famâ conspicui  
sunt,

JOHANNES DAVID Schwertner / Lips.

IMMANUEL Weber / Hohenheydâ-Misn.

CHRISTOPHORUS Meyfart / Oster-  
behringâ-Thuringus.

JACOBUS Laue / Ascaniensis - Saxo.

JOHANNES Gottlieb Harde / Loburgen-  
sis Saxo.

Magnificum ergo Academiæ Rectorem, Facultatum  
omnium Amplissimos Proceres, Academicorum Civium  
splendidissimum Ordinem, eâ quâ singulos compellare sub-  
missione, observantiâ, modestiâ par est, rogamus, ut actum  
hunc celebri suâ, nostrisque studiis honorificâ præsentî, il-  
lustrare dignentur. Crescet ita simul Candidatorum ad  
altiora tendendi ardor, simul nostra cupiditas benevolentî-  
am haud vulgarem obsequiis nunquam finiendis, gratitudi-  
ne semper expeditâ demerendi. PP. d. 13. Decembr.

ANNO 1678.



1077

110



Q.K.238,19.

(x2044375)

FACUL  
IN ACADEM  
PHILOS  
DECA

*Sole*

BACCALA  
RENUNCI

pridie Dominicæ III. A  
cembr. anni hujus a

16  
more confve

BENEVOLIS

sign  
ipforumqve honor  
officiosè exo

LIP  
LITERIS CHRISTI



7k.238.

